

quomodo alii atque alii Minoritæ acceptant. — Nota. — Cætera quæ hic dubitari poterant, in citatis decretis satis attinguntur et declarantur, et in superiori tomo agendo de paupertate a nobis allata sunt. Solum hic adverto illas declarationes Pontificum circa hanc Minorum paupertatem, solum fratribus de Observantia esse usui, nam Conventuales majoribus dispensationibus utuntur, cum propria bona in communi habeant; Capucini vero profitentur se nudam observare regulam, et illis declarationibus renuntiant. Nam in hoc maxime dicuntur ab Observantibus distingui. Videant ergo ipsi quid voveant, et quo sensu, illudque observent, mihi enim de eorum more aut usu non satis constat. Non possunt tamen declarationem aliquam non admittere, quia votum et lex debet esse de re certa et clara. Solum ergo possunt non admittere declarationes illas, quatenus aliquid de jure humano et arbitrarium involvunt, quod minorem forte rigorem indicare videtur; in quo potuerunt ipsi majorem rigorem eligere; necessarium vero est ut in hoc aliquid certum et stabile declaratum habeant, ne conscientie facile ligentur; quod in tanta communitate, et in rebus, quæ quotidie præ manibus habentur, et necessariae sunt, facile potest contingere.

CAPUT VIII.

DE ORIGINE ORDINIS EREMITARUM SANCTI AUGUSTINI.

1. De quo Sancti Augustini ordine disputatio instituat. — Hactenus de proprio ordine monachorum a D. Augustino instituto nihil diximus, sed reservavimus, quia non est adeo manifestum D. Augustinum instituisse hujusmodi ordinem, quin aliqua inquisitione et disputatione indigeat. Et licet fuerit institutus, nunc tamen vel idem non manet, vel non sub pura seu speciali ratione monachatus, id est, sub instituto vitæ solum contemplativæ et eremiticæ, sed mixtæ, et sub nomine ac ratione mendicantis religionis, qualis nunc est sacra religio, quæ *Eremitarum sancti Augustini* appellatur. De antiquitate ergo et origine hujus ordinis, multa sunt ab scriptoribus, præsertim ejusdem ordinis, scripta et disputata in defensionem suæ antiquitatis, quibus nos nihil addere possumus, nec litem cum aliis intendere volumus, sed ea tantum, quæ probabiliora videntur, proponere, ac

institutionem, auctoritatem et perfectionem hujus ordinis, quæ sine dubio magna est, breviter declarare.

2. Prima assertio, B. Augustinum post baptismum religiosum vivendi modum inivisse. — Primo ergo probabilis existimo Beatum Augustinum, statim a principio conversionis suæ, religiosam vitam professum fuisse. Id enim non obscure colligitur ex verbis ejusdem, in lib. 8 et 9 Confessionum; nam in lib. 8, cap. 6 et sequentibus, commemorat internum bellum quod adhuc catechumenus patiebatur, deliberans de statu quem post baptismum accepturus erat, matrimonii, scilicet, vel coelibatus; nam ad rem uxoriæ et secularia negotia propensus erat, aliunde autem exemplis et verbis Sanctorum ad perfectionem sectandam excitabatur. Tandem vero, in c. 12, divinam inspirationem et mirabilem vocationem refert, qua tractus et adjutus, jam non solum christianam, sed etiam perfectam vitam sequi firmiter elegit. Quam cum matri narrasset, loquens cum Deo: *Exultat* (inquit) *et benedicit tibi, qui potens est, ultra quam petimus, aut intelligimus facere, quia tanto amplius sibi a te concessum de me videbar, quam petere solebat miserabilibus ejus flebilibusque gemitibus. Convertisti enim ita me ad te, ut neque uxorem quærerem, nec aliquam spem seculi hujus, stans in ea regula fidei, in qua me ante tot annos ei revelaveras.* Hoc ergo est quod Deus Monicae concessit, ultra id quod petebat; illa enim conversionem Augustini ad fidem solum postulabat, Deus autem etiam conversionem ejus ad sequendam perfectionem concessit. Et hoc est, quod subdit: *Convertistis luctum ejus in gaudium, multo uberius quam voluerat, et multo clarius atque castius, quam de nepotibus carnis meæ requirebat.* Et lib. 9, c. 1, magis explicans hoc propositum adeo perfectum, et firmum, ut jam veluti opere consummatum, ait: *Jam liber erat animus meus a curis mordacibus ambiendi, et acquirendi, et volutandi, atque scalpendi scabiem libidinum;* quibus verbis perfectissimam renuntiationem seculi expressit quoad illa tria, quæ per tria religionis vota abnegamus, scilicet, propriam voluntatem, seu dominandi libidinem, divitias, et corporis voluptates. In c. autem 2 hujus libri, magis declarat contemplativam et monasticam, seu solitariam vitam elegerit, et ideo inquit decrevisse munus docendi rhetoricam relinquere: *Sagittaveras* (inquit) *tu cor nostrum charitate tua, et gestabamus verba*

tua transfusa visceribus, et exempla servorum tuorum. Et infra: *Plena voluntas vacandi et vivendi, quoniam tu es Dominus, oborta mihi est, atque firmata, nosti, Deus meus.*

3. Nec multum id distulisse conjecturis etiam suadet. — Ex his ergo intelligi potest D. Augustinum, vel in ipso baptismo, vel non multo post, religiosam vitam professum esse. Probatur, quia firmo proposito, et magna Dei vocatione, jam illam conceperat, ut declaratum est; ergo non est verisimile, post baptismum executionem multum distulisse. Probatur consequentia. Primo, quia talis dilatio vel non fuisset sine aliqua culpa, vel non sine magna remissione animi et imperfectione, quam certe si Augustinus commisisset, in Confessionibus suis recognovisset et indicasset. Nam lib. 9, c. 2, cum haberet a Deo inspirationem omittendi publicum legendi munus, ut Deo vacaret, et per aliquot dies distulisset executionem, ob causam satis apparentem et rationabilem, illam dilationem tanquam aliquo modo culpabilem recognoscit, et a Deo veniam petit; quid ergo facturus fuisset, si post baptismum viam perfectionis ingredi distulisset? Secundo, ad hujusmodi statum jam ante baptismum se præparavit, tum relinquendo munus officii publici, quod per se cum baptismo non repugnabat; tum colligendo se cum sociis in villam, ubi Deo et considerationi rerum divinarum vacaret, ut ipse refert, lib. 9 Confessionum, c. 4, nullumque impedimentum habuit, vel a sociis, vel a matre; nam omnes mirum in modum illo genere vitæ lætabantur, et ipse divino amore flagrabat, quæ omnia ipsemet refert; quæ igitur causa dilationis excogitari potest? Tertio expendo, quod eodem libro, c. 3, de Nebridio refert cum Deo loquens et dicens: *Quem nec multo post conversionem nostram, et regenerationem per baptismum tuum, ipsum etiam fidelem Catholicum castitate perfecta atque continentia tibi servientem in Africam apud suos, cum tota domus ejus per eum Christiana facta esset, carne solvisti;* ubi expendo verba illa, *castitate perfecta tibi servientem;* nam clare significant statum firmum vitæ continentis, et consecratæ ad perfecte serviendum Deo. Pondero etiam illam conjunctionem *ipsum etiam*, supponit enim, se et socios suos, quos Nebridius imitabatur, eadem castitate perfecta et continentia servisse Deo post suam regenerationem.

4. An is vivendi modus fuerit proprie reli-

XVI.

giosa professio. — Quoad castitatem verisimile. — De paupertate incertum. — Multoque magis de obedientia. — Hæ igitur conjecturæ satis, ut opinor, suadent, Augustinum simul cum baptismo viam perfectionis et statum continentie amplexum esse. Nec vero continuo et sine majore probatione affirmaverim, illum statum fuisse proprie religiosum, per tria vota præsertim solemnia, prout nunc fit. Credibile quidem mihi est, statum continentie firmo ac deliberato animo deliberasse, et fortasse etiam Deo promisisse; nam hoc mihi indicant illa verba, quæ supra ponderavi, *castitate, et continentia perfecta.* Imo verisimile censeo votum hoc continentie etiam ante susceptum baptismum adhuc catechumenum emisisse; nam hoc satis ipse indicat in ultimis fere verbis lib. 8 Confessionum. De voto autem paupertatis vel obedientie nihil affirmare possumus, saltem de eo tempore quo Augustinus fuit in Italia, priusquam in Africam rediret, quia nec Possidius in vita Augustini, neque Augustinus ipse in Confessionibus, neque in aliis libris quicquam de hoc significat; imo Anton. ait, Augustinum reversum in patriam, ex patrimonio suo domum in eremo ædificasse, pro se et sociis suis, et reliqua in pauperes distribuisse; ipse vero Augustinus, sermon. 1 de communi vita clericorum, scribit, tenuem suam substantiam vendidisse, et pauperibus erogasse; unde constat superiori tempore nondum se expoliasset omnibus bonis, vel dominio illorum, quamvis habere potuerit propositum et votum dimittendi omnia, quamprimum commode posset, et in usus pios et paupertati consentaneos; an vero ita fecerit, scriptum ab aliquo antiquo, vel satis fide digno auctore non invenio. Magis autem incertum mihi est obedientie votum, quia neque in monasterio aliquo ex his, quæ ante ipsum erant, neque in manibus alicujus illud emisisse, vel Mediolani, vel Romæ, vel in alio Italiae loco legimus, nec in congregatione, seu familia sua videtur eo tempore talem vivendi modum habuisse; oportuit enim approbante aliquo Episcopo talem vitæ modum inchoari, et in manibus ejus votum obedientie emitte, quod sine dubio non fecit. Quod etiam ex modo, quo idem Augustinus in citatis libris Confessionum, de se et de suis amicis, et de suo reditu in Africam loquitur, non obscure intelligitur, unde Possidius, in Vita Augustini, c. 3, sic inquit: *Ac placuit ei, percepta baptismi gratia, cum aliis civibus,*

34

et amicis suis Deo pariter servientibus, ad Africam et propriam domum agrosque remeare. Quæ verba indicant totam illam familiam fuisse laicam, et liberam ab obedientiæ jugo, Deo tamen servientem, et inter se amicitia et charitate conjunctam.

5. *Tertiæ objectioni in contrarium occurritur.*—Neque aliud significasse existimo, quod Monica sanctissima, jam morti vicina, filio dixit, ut ipse refert, lib. 9 Confessionum, cap. 10: *Unum erat propter quod in hac vita aliquantum immorari cupiebam, ut te Christianum Catholicum viderem, prius quam morerer; cumulatius hoc mihi Deus meus præstet, ut te etiam, contempta felicitate terrena, servum ejus videam.* Quo ultimo verbo indicare videtur illum jam fuisse religiosum; sed, licet hoc sit verum late loquendo, quia jam profitebatur viam perfectionis et continentiae, et decreverat seculares curas relinquere, ut explicuimus, tamen quod monasticam vitam proprie sumptam jam tunc profiteretur, non satis inde colligitur. Quamvis incredibile sit Augustinum jam concepisse propositum illius vite, tamen, cum esset quasi in via, et in reditu ad patriam, non videbatur tempus aptum et commodum exequendi omnino et quasi consummandi illud propositum, præsertim vivente matre; et ideo verisimilius etiam est illam executionem distulisse usque ad reditum in Africam.

6. *Obiectio altera, ex quodam sermone Ambrosio attributa.*—*Sermo ille spurius est duabus rationibus.*—Non desunt vero qui putent D. Augustinum simul cum baptismo accepisse de manu Ambrosii monachi habitum; nam in quodam sermone 92, inter sermones Ambrosii, sic Ambrosius loquitur de Augustino: *Novum Christianum novis vestimentis cuculla nigra induimus, cingulo ex corio nos ipsi præcinximus, quod Simplicianus noster ingenti lætitia donavit.* In quam sententiam ob auctoritatem Ambrosii descendit Antoninus, 3 p. Historiali, titul. 24, cap. 14, § 2; unde facile potest quispiam addere, tunc etiam Augustinum religiosorum vota in manu Ambrosii emisisse. Verumtamen sermo ille expunctus est ab operibus Ambrosii Romæ impressis, et magna diligentia emendatis, omnibus suppositiis operibus rejectis. Et Cæsar Baronius, tomo 4, anno 388, graviter reprehendit imperitum (ut ipse loquitur) illius sermonis fictorem; primum, quia inepte finxit, cum ejus stylus omnino sit alienus ab eloquentia, gravitate et sententiarum pondere Ambrosii. Secundo,

quia facile potest mendacii redargui; duo enim aperte falsa dixit: unum, quod Augustinum Carthaginensem vocat, cum constet fuisse Tagastensem; aliud est, quod illum dicit fuisse conversum a Gentilium cultu, cum tamen certum sit nunquam coluisse idola, licet in aliis erroribus versatus fuerit. Verumtamen hæc duo aliquo modo colorari possunt, dicendo, Africanos omnes interdum fuisse vocatos Carthaginenses, a metropoli civitate; vel Augustinum ita fuisse vocatum, quia Carthagini multo tempore vixerat et docuerat, et unde immediate venerat, cum discessit ex Africa. De cultu autem Gentilium conversus dici potuit, non propter idololatriam, sed quia sine fide et baptismo tanquam gentilis quidam philosophus et Academicus de Deo opinabatur. Illud vero difficilius potest ad verum sensum trahi, quod ibi dicitur, sæpius Ambrosium tentasse Augustinum, et cum eo disputasse, et e converso Augustinum, disputationis suæ acrimonia et vehementia Ambrosium vicisse, cum tamen Augustinus ipse, lib. 6 Confessionum, cap. 3 et 11, dicat sibi non fuisse datam copiam seiscitandi ab Ambrosio, quæ cupiebat, nisi cum magna brevitate, quia non vacabat Ambrosio.

7. *Satisfit objectioni directe.*—Ex quibus plane incertum redditur, quod de cuculla nigra dicitur, saltem quod id fuerit ab Ambrosio scriptum, nam utrum in re ita fuerit, ignoratur. Et conjectura est non ita fuisse, quia erat universalis consuetudo baptizatos indui albis vestibus, ut idem Augustinus sæpe commemorat, lib. de Fide et symbolo, et lib. de Catechizandis rudibus, nullamque mutationem consuetudinis in suo baptismo factam alicubi indicat, quamvis baptismi lavaerum ministerio Ambrosii recepisse commemoret, lib. 1 contra Julianum, cap. 3. Ad hoc tamen responderi potest, super cucullam nigram, impositam fuisse Augustino candidam vestem baptizatorum. Sed, licet hoc contingere potuerit, etiam est præter morem, quia ipsamet usualis vestis solet esse candida, ut nunc Romæ in neophytis conspicitur. Denique adversus Antoninum ex sermone Ambrosii longe aliter verba illa referre dicentem: *Hunc in Christo genui, et postquam baptizavi eum, indui cucullam nigram, et ipse ad differentiam monachorum se cinxit zona pergens ad Simplicianum,* etc. Ex hoc ergo sermone nihil affirmare possumus eorum, quæ in illo referuntur.

8. *Num sermones ad fratres in eremo, unde*

prædicta obiectio posset roborari, sint Augustini.—Nec majorem fidem faciunt alia verba, quæ idem Antoninus refert ex eodem Augustino in quodam sermone ad fratres in eremo: *Duodecim fuimus fratres, qui induimus cucullam nigram, et calceamenta, et zonam nigram desuper cinctam ad differentiam monachorum.* Nam hi etiam sermones incertam habent auctoritatem, et in auctorem eorum graviter invehitur Cæsar Baronius, in tom. 4, ad annum Domini 382, et 385, et 387, et in Martyrologio, 5 Januarii, et multi alii auctores sermones illos, ut Augustinianos non recipiunt, quamvis interdum ab aliis sub nomine Augustini citentur. Et licet fortasse aliqui illorum sint Augustini, sicut olim inter eos ponebantur duo sermones de communi vita clericorum, quos constat esse Augustini, et nunc ponuntur inter sermones de diversis, suntque quadragesimus nonus, et quinquagesimus; licet, inquam, ita potuerint aliqui alii veri Augustini sermones ibi interseri, ut lib. præced., c. 2, n. 3, attingi, nihilominus certum existimo quamplures eorum non esse Augustini, quia multa falsa, et Augustino indigna in eis continentur; unde fit ut omnes sint incerti. Quapropter illud testimonium de cuculla nigra et zona ex corio, nullam inde auctoritatem accipit; est ergo res incerta, et de ipso, seu pro ipso tempore baptismi parum verisimilis; quid vero credi possit de reliquo tempore ante clericatum Augustini, paulo post subjiciam.

9. *Rejicitur alia incerta conjectura de religioso statu Augustini ante ejus reditum in Africam.*—Unde etiam incertum esse reperio, quod Antoninus supra refert, Augustinum, postquam Mediolano discessit rediturus in Africam, priusquam Italiam relinqueret, visitasse eremitas, qui erant in monte Pissano, et per aliquod tempus ibi moratum esse, et postea visitasse alios eremitas, qui erant in Centumcellis prope Romam. Adduntque alii Augustinum, eo tempore quo eremitas Pissani montis visitavit, dedisse illis quandam regulam monachorum, ex tribus quas composuit, et ex tunc proprium monachorum statum accepisse; postea vero visitando alios eremitas in Centumcellis secundum regulam eis tradidisse. Sed hæc a Possidio in vita Augustini non referuntur, neque ab Augustino in libro Confessionum aut alibi

¹ Volaterranus, lib. 21; Hier. Rom., libr. 6 Reip. Christianæ, cap. 6.

insinuantur; nec videntur posse cum Chronographia de ætate Augustini convenire; nam constat Augustinum, expleto trigesimo tertio ætatis anno, et trigesimo quarto inchoato, baptizatum esse; ipse enim, libro primo Soliloquiorum, c. 10, hanc ætatem se habuisse dicit, cum illud opus scriberet; scripsit autem illud ante baptismum, ut ipsemet refert 1 Retractionum, cap. 4. Post baptismum autem statim Romam se contulit, ubi saltem per annum commoratus est, tempus aptum navigationi expectans, nam ibi multa conscripsit, quæ ipse commemorat lib. 4 Retractionum, cap. 7, 8 et 9. Et inter alia scripsit libros de moribus Ecclesiæ Catholicæ, in quorum primo, cap. trigesimo tertio, commemorat monasterium, quod prius Mediolani, et plura alia, quæ Romæ postea cognovit, de monte autem Pissano aut Centumcellis nihil memorat. Ait præterea idem Augustinus, 9 Confess., cap. 11, sanctam Monicam, matrem suam, mortuam esse anno 33 ætatis ejusdem Augustini, ubi potius legendum videtur anno 35, ut constat ex alio loco Soliloquiorum; ergo non potuit Augustinus, postquam Mediolano discessit, per duos annos commorari cum eremitis Pissani montis et Centumcellarum ante mortem sanctæ Monicæ. Neque etiam verisimile est post mortem matris retro redisse, et tam longas moras fecisse; tum quia ipsemet Augustinus, lib. 9 Confessionum, cap. 10, de se et matre inquit: *Apud ostia Tyberina post longi itineris laborem instaurabamus nos navigationem;* ergo cum hac intentione illuc pervenissent, licet mors matris post paucos dies acciderit, non est per se credibile, neque ulla ratio probabilis apparet, ob quam Augustinus mutaverit consilium, et tam diuturnas moras fecerit; tum etiam quia in sermone primo de Communi vita clericorum, dicit juvenem fuisse, cum in Africam rediit; ergo verisimile est non excessisse trigesimum quintum annum ætatis, cum illuc pervenit. Igitur hæc omnia tanquam incerta, et ad hujus religionis veram originem seu antiquitatem explicandam tanquam inefficacia relinquo, nec definite assero Augustinum ante reditum in Africam non fuisse monachum, aut regulam monachorum non scripsisse, sed assero hoc non constare satis fide digna historia, vel auctoritate.

10. *Secunda assertio: Augustinus ante Presbyteratum monachus fuit, et religionem instituit.*—Nihilominus dico secundo, Augustinum reversum in Africam, prius quam

Presbyter neret, monachum fuisse, et in proprio monasterio monachos congregasse et insituisse. Hæc assertio non satis colligitur ex Possidio, in Vita Augustini; nam in c. 3 solum ait: *Placuit ei, percepta baptismi gratia, cum aliis civibus, et amicis suis Deo pariter servientibus, ad Africam remeare, ubi constitutus ferme triennio, et a se jam alienatis curis secularibus, cum iis, qui eidem adhærebant, Deo vivebat, jejuniis, orationibus, bonisque operibus in lege Domini meditans die ac nocte.* Quæ verba indicant quidem vitam satis religiosam et perfectam, nondum tamen satis explicant proprium statum religiosum et monachalem; nam illa omnia dici possent de illo genere vitæ quod Augustinus Mediolani etiam ante baptismum in separata villa inchoaverat. Unde Baronius, in 4 tom., ann. 389, de hac re tractans, solum dicit: *Rediens (scilicet Augustinus) una cum sociis Agypto et Evodio in patriam, quem condixerant, vitæ statum, cum adhuc in Italia essent, exercere cœperunt.* Deinde vero refert verba Possidii, et in prædictis verbis suis alludit ad relationem Augustini, 9 Confess., c. 7 et 8. Ex quibus solum licet colligere cœpisse in Italia amare cum sociis solitariam et contemplativam vitam, in castitate perfecta, et quæsisse locum ad hunc finem aptum, et hac intentione in patriam remeasse, et statim ac illuc pervenit, prout potuit, opere complevisse; an vero id fuerit cum monachali professione, non satis a dictis auctoribus explicatur.

11. *Prima probatio.* — Nihilominus ipsemet Augustinus, serm. 4 de Communi vita clericorum, qui non dubitatur esse ipsius, nam citatur a Beda, 2 ad Corinth. 8, et a Concilio Aquisgranensi, sub Ludovico imperatore, anno 1016, c. 112, ipse, inquam, Augustinus satis ibi declarat, statim ac pervenit in Africam, monasterium construxisse, in quo cum suis fratribus vitam communem et Apostolicam ageret: *Juvenis (inquit) veni ad istam civitatem, ut multi vestri noverunt, quærebam ubi constituerem monasterium, et viverem cum fratribus meis, spem quippe omnem sæculi reliqueram, etc.* Dicet aliquis Augustinum non dicere construxisse se illo tempore monasterium, sed quæsisse locum ubi illud construeret. Sed, licet expresse non asserat, nec etiam negat; et per se verisimile est non caruisse illo tanto tempore. Verumtamen in sequentibus verbis id plane supponit; ait enim: *Veni ad istam civitatem propter videndum amicum, quem vutabam me lucrari posse Deo, ut*

nobiscum esset in monasterio; habebat ergo jam monasterium, in quo cum fratribus religiosam vitam agebat, ad quam amicum adducere cupiebat, et hoc vocat lucrari illum Deo. Deinde refert ea occasione assumptum esse ad statum presbyteri, in quo jam constitutus subjungit: *Non attuli aliquid, non veni ad hanc Ecclesiam nisi cum indumentis, quibus illo tempore vestiebar. Et quia hic disponebam esse in monasterio cum fratribus, cognito instituto, et voluntate mea, beatæ memoriæ senex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc est monasterium.* Ex quibus omnibus satis constat Augustinum adhuc laicum, monasterium unum construxisse, et alterum postea jam factum presbyterum; sed prius in eremo, seu loco ab oppidis separato, posterius in loco civitati vicino; nam illud prius colligitur ex illis verbis: *Veni ad istam civitatem propter videndum amicum, quia, scilicet, in loco separato habitabat.* Posterius autem indicat, cum subdit: *Hic (id est, in hac civitate Hipponensi, ad quam loquitur) disponebam esse in monasterio cum fratribus.* Quod postea dicit denuo ædificasse, cum jam prius esset antiquius. Et (quamvis hoc non explicet) verisimile est non destruxisse priorem domum, aut vacuum reliquisse transfereudo fratres omnes ad novum monasterium; sed cum paucis fratribus primi monasterii secundum inchoasse, aliis fratribus in alio relictis, prout in aliarum religionum initiis factum esse conspicimus, quod etiam ipse non obscure indicat; nam de secundo monasterio subdit: *Cæpi boni propositi fratres colligere compares meos nihil habentes, sicut nihil habebam, sed imitantes mei, et quomodo ego tenuem paupertatulam meam vendidi, et pauperibus erogavi, sic facerent et illi, qui mecum esse voluissent, ut de communi viveremus.* Ait autem Possidius, in vita Augustini, cap. 5, Augustinum factum Presbyterum, monasterium intra Ecclesiam mox instituisse, et cum Dei servis vivere cœpisse secundum regulam sub Apostolis constitutam. At vero Augustinus ipse in dicto sermone non dicit ædificasse monasterium intra Ecclesiam, sed in horto sibi a Valerio donato, in quo monasterium durabat, etiam postquam ipse erat Episcopus: et infra subjungit: *Pervenit ad Episcopatum, vidi necesse habere Episcopum exhibere humanitatem assiduam quibuscumque venientibus, sive transeuntibus, quod si non fecissem, Episcopus inhumanus dicerer. Si autem consuetudo ista in monasterio permessa es-*

set, indecens esset, et ideo volui habere in ista domo Episcopali monasterium clericorum. Non ergo ædificavit Augustinus intra Ecclesiam monasterium, nisi jam factus Episcopus, et tunc non sine causa explicat fecisse monasterium clericorum, indicans prius fuisse monasterium monachorum, seu laicorum. Significat etiam diversa fuisse illorum instituta; nam de primo ait non decessisse admittente in eo consuetudinem habendi frequenter hospites. De secundo vero supponit non habuisse talem indecentiam, nam ad hunc finem illud construxit; erat ergo primum rigidioris vitæ solitariæ et contemplativæ, ejusdem nimirum instituti cum alio prius constructo in loco a civitate remoto. Aliud vero licet religiosum esset, erat tamen vitæ (ut sic dicam) humanioris ad hospitalitatem accommodatæ, et ad ministeria Episcoporum et proximorum.

12. *Secunda probatio.* — Præterea colligo ex superioribus verbis habuisse Augustinum adhuc laicum in eo statu peculiarem habitum, qui nec presbyterorum proprius erat, nec vulgaris laicorum, sed tam honestus, ut a presbytero etiam retineri possit, nam hæc omnia mihi significant illa verba: *Non veni nisi cum illis indumentis, quibus eo tempore vestiebar;* quando enim ista verba dixit Augustinus, jam erat Episcopus; in quo statu indumenta mutaverat (ut indicat); antea vero eadem retinebat etiam in monasterio civitatis; quæ si non fuissent specialia, et ab indumentis aliorum secularium distincta, non de illis tanquam de singularibus et propriis loqueretur. Qualia autem illa fuerint, aut cujus figuræ vel coloris, ipse nobis non explicuit, et ideo nihil certum in speciali dicere possumus, quamvis in genere, non dubitem quin fuerint monachalia, propter ea quæ jam subjiciam.

13. *Probatio principalis.* — Colligo enim ulterius ex eodem loco, adjunctis aliis, Augustinum in illo primo monasterio propriam ac perfectam monasticam vitam instituisse, quod probo primo ex voce *monasterium*, quæ proprie dicitur, et tunc maxime dicebatur de habitatione monachorum. Secundo, quia ibidem ait professum fuisse cum fratribus voluntariam paupertatem, et professum esse vitam communem ad imitationem Apostolorum. Tertio, quia idem Augustinus, libro 3 contra Petilianum, cap. 40, de illo hæretico sic inquit: *Perrexit ore maledico in vituperationem monasteriorum et monachorum, arguens etiam me, quod hoc genus vitæ a me fuerit institutum,*

quod genus vitæ omnino quale sit nescit, vel potius toto orbe notissimum nescire se finxit. Ubi Augustinus tacite consentit et fatetur, se illud genus vitæ instituisse; quod intelligi potest, vel quia illud institutum amplexus et professus est, vel quia in illo genere vitæ proprium et peculiarem modum instituit; non enim totius generis, ut sic dicam, seu totius vitæ monasticæ inventor cogitari potuit, nisi per magnam ignorantiam vel malitiam illorum hæreticorum, cum ante Augustinum esset et monachorum nomen, et genus vitæ in orbe diffusum, ut ipse commemoratum hic, tum etiam aliis multis in locis, præsertim in libris de Moribus Ecclesiæ, et de Opere monachorum, et in Psal. 75 et 99, et optime in 132, ubi et nomen monachi declarat, et vitam laudat, et modum etiam salutandi Deo gratias agendo commemorat; et in epistola 89, quæst. 4, disputando contra hæreticos, qui divites omnes damnari dicebant, ne amore divitiarum id facere calumniaretur, inquit: *Ego, qui hæc scribo, perfectionem, de qua Dominus locutus est, quando ait diviti adolescenti: Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in celo, et veni, et sequere me; vehementer adamavi, et non meis viribus, sed gratia ipsius adjuvante sic feci.* Subjungitque deinceps: *Et ad hoc propositum, quantis possum viribus alios exhortor, et in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est.* Scripsit autem Augustinus hæc verba jam Episcopus; possuntque tam ad monachos, quam ad Canonicos regulares applicari. Certum tamen est ex dictis, ante Episcopatum et ante presbyterium ipsum adamasse et amplexum esse illum statum, et ad illum alios traxisse, et cum illis monasterium non clericorum, sed laicorum monachorum construxisse. Hac ergo ratione dictus est *monachorum institutor*, et quia fortasse illud vitæ institutum primus in Africam invexit, ac denique quia in Latina Ecclesia primus etiam monachis vivendi regulam dedit, quam Apostolica Ecclesia postea probavit, ut jam ostendam.

14. *Tertia assertio, regulam unam scripsisse Augustinum pro suis religiosis.* — Dico ergo tertio, Augustinum pro suis monachis regulam illam, quam Ecclesia sub nomine illius recepit et probavit, edidisse. Solent quidem divo Augustino tres regulæ attribui; duæ breviores, et tertia integra, et magis completa; prima incipit: *Communi definitione decre-*